

à Galeno 2. de Simpl. c. 7. balneum olei calidi. Paralyfis à sanguine medicamenta assumpta & extrinsecus admota magis temperata exigit, non ultra secundum gradum calefacientium, qualia sunt: oleum liliorum alb. camomill. lumbricorum. costinum Vulpinum &c. Si Paralyfis statim incipiat à contusione aut ictu nervos conterente, licet curationem admittere non videatur, tamen utile est, pellem ovis recenter detractam parti imponere, cæteraq; primum adhibere, quæ ab inflammatione & putredine conseruant, deinde quæ citra morsum siccandi & confortandi vim habent. Si post ictum non statim oriatur Paralyfis, sed aliquantò post ab inflammatione, curanda erit vt inflammatio, admoto Emplastro Rhasis ex foenugræco, alijsq; emollientibus, modicèq; relaxantibus & discutientibus, &c.

53. In omni paralyfi adhibenda sunt remedia parti primariò affectæ, vbi residet morbus, aliquando ipsis partibus resolutis, potissimum initijs musculorum: veluti in paralyfi linguæ; Inunctiones adhibeantur potissimum posteriori parti capitis & ceruici; in cynico spasmo ex paralyfi, ceruici in primis, aliquando fronti & temporibus: In paralyfi pedum, vltimis lumborum vertebris; eademq; in cæteris ratio est. Curationem particularis cuiusq; paralyfis in specie, breuitatis causa nunc omitto.

F I N I S.

Psychiatrie 21, 39 =